



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

CXXXIX. Schreiben derselben an ebendenselben, worin sie die Nachricht
von ihrem und ihres unerwachsenen Sohnes Wohlseyn wiederholt und
für übersandte Geschenke dankt.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

CXXXIX. Schreiben derselben an ebendenselben, worin sie die Nachricht von ihrem und ihres unerwachsenen Sohnes Wohlfeyn wiederholt und für übersandte Geschenke dankt.

Gaudemus, ut tenemur, et consolamur in vestris prosperitatibus et salute, frater et domine dilectissime! quia jam nonnisi vos solum et unicum praeter deum summum et supremum habemus solatium cordis nostri. Et quia gratiose requirimus per Vestram Dilectionem edoceri de statu vestro, nostram et carissimi filii nostri parvuli salutem vobis scribimus, et per dei ac vestram gratiam omnis boni plenitudine habundamus. Referentes immensas grates V^{rae} Dilectioni sive Dominationi de xenodiis nobis transmissis, in quibus evidenter nobis datur cognoscere, quod nos Dilectionis Vestrae gratia favorabiliter complect(ente)s specialiter diligitis et amatis.

Nach Palacky, a. a. D. S. 267. Nr. 5.

CXL. Schreiben derselben an ihren Bruder, worin sie ihn bittet, in dem gegenwärtigen Feldzuge sein Leben in Acht zu nehmen.

Scriptit et mandavit nobis Vestra Dilectio, consolando nos, persuadendo et rogando, ne turbaremur multum, attendentes actionis sive expeditionis vestrae iustae causam. Et revera, quia iusta est, tanto amplius majorem dolorem nobis importat animi, certo nos exemplo poetico edocente: Quae venit indigne etc. Verum tamen, sicut mandastis, quia vestris semper obedire mandatis tenemur jam per omnia, firme quoque roboratum in hoc est cor nostrum, ut placita vobis nobis placeant, et displiceant per omnia, quae sunt vestris voluntatibus aliena: igitur non nostri, sed vestri consolatione consolamur, quae non reputamus nos aliquid sine vobis; sola enim et unica post dominum spes et salus in vestro vivere nobis datur. Si igitur nos vivere vultis et consolari, sicut praecipitis: petimus, quod et antea petivimus, munus nobis dari, quod datum vitam nobis tribuet, negatum diminuet esse nostrum, — quod videlicet nunquam ad aliquam munitionem civitatis seu castrorum in propria persona accedatis; periculosus enim est impulsus insperate venientium sagittarum. Tunc enim consolari poterimus, ut credimus, aliquantum, si certas nos reddiderit Vestra Dilectio talis doni; diminuta quoque amaritudine cordis, liberiore mente, quae ad hoc requiritur, ac intentione devota, fixa cordis dulcedine coelitus, tanto amplius pro vestris prosperitatibus et salute orare poterimus, et suffragandum auxilium vobis dei, cujus misericordia iustos consovet, rebelles exprimit, implorabimus diligentia pervigili, et super hoc devotorum fidelium undique pro vobis adjuvari precibus et persuasionibus sollicitis insitemus. Etsi per divinam providentiam sufficienter dotatae sumus dono puerorum super terram, quibus consolari possemus iudicio populari: videmur tamen, super quo altissimum testem inducimus respective, nihil habere gaudii seu laetitiae nostrum animum consolantis, si salutis vestri corporis nobis consolatio non adesset. Igitur tristari semper nos oportet, non ab re, nec immerito, procellum vestrum, quamvis actionis et